

Capta. Quia dicitur quod palacium Crete est ita diruptum et devastatum quod nisi subito reperietur, oportebit post modum fieri duplo maiores expense. Uadit pars quod concedatur duche et consiliarijs ituris, quod possint expendere
5 in reparatione palacij predicti usque ducatos centum quinquaginta, uel inde infra.

18

Διαφορὰ μεταξὺ Λαυρεντίου Δανδόλου καὶ τῶν κατοίκων Κλαδισοῦ διὰ τὴν ἐπίσχεσιν τῶν ὑδάτων τοῦ ποταμοῦ Κλαδισοῦ ἐκ τῶν κτημάτων τοῦ Δανδόλου ὑπὸ τῶν προηγουμένων παροχθίων. 1352, Σεπτεμβρίου 15.

F^o98^r Millesimo trecentesimo LII, die XV Septembris.

Capta. Quod rectori eiusque successoribus in favorem ser Laurentij Dandulo scribatur in hac forma. Pro parte uiri nobilis Laurentij Dandulo ciuis nostri nuper fuit expositum coram nobis quod ipse tenet ad afflictum a communi ter-
5 ram uocatam Cladiso, et quod illos qui tenent ab eo territorium oportet habere aquam pro potu suo et animalium, ac etiam pro aliquibus uiridarijs nuperime factis que redundant in magnam utilitatem terre nostre Canee. Sed illi de cha Zancharolo et alij habentes superiora territoria nituntur quandoque retinere aquam del Cladiso, que tempore estivo multum exsicatur, pro qua quidem reten-
10 tione et impedimento ipse Laurentius grande damnum consequitur cum habitatoribus suis, tam pro zardinis que deuastantur, quam pro animalibus et personis non habentibus unde libant. Et sic non reperitur qui uelit conducere ipsum territorium ad afflictum in manifestum preiudicium ciuis nostri et etiam communis cuius est terra predicta. Et licet alias conquestus fuisset de hoc coram nobile
15 uiro Petro Georgio precessore uestro. Qui precepit eisdem detentoribus sub certa pena ut aquam predictam discurrere permitterent, tamen hoc non uidetur sufficere, quia post recessum eius processerunt ad similem nouitatem et ante quam possit consequi jus suum transeunt aliqui dies, in quibus sentitur damnum predictum. Quare pro parte sua nobis extitit supplicatum, ut superinde dignaremur
20 de opportuno remedio prouidere, unde habentes supplicationem prefatam fore iustam, fidelitati uestre scribimus et mandamus quod audire debeatis suprascriptum Laurencium Dandulo et alios pretendentes jus in aqua predicta, et si inuenitis aquam ipsam indebite detineri precipere debeatis retentoribus ut illam permittant absque retentione uel impedimento aliquo facere cursum suum, im-
25 pones eis penam resarciendi et emendandi damnum quod pro ipso impedimento sentiretur, uel aliam penam, sicut uobis uidelitur, dummodo sit ita sufficiens quod meta illius retentionem uel nouitatem predictam ulterius facere non
27 presumant.